

Hæc ægra jam per medium annum  
nauseam habuit a carne, & quamprimum  
carnis tantum odorem percepit, vomi-  
turiebat.

Sumpto per triduum hoc pulvere,  
cœpit appetere carnes, easque comme-  
ftas, optime digeflit.

Tertia septimana ex usu hujus pulve-  
ris tumoris moles erat multo minor, &  
copiosa, glutinosa, & flavescens materies  
ex uteri vagina profluxit.

Finito secundo mense tumor fere to-  
tus jam disparuit. Appetitus viget, au-  
gentur vires, verum copiosa materies,  
flava, crassa continuo stillat ex utero.

#### EXPERIMENTUM VIII.

**V**irgo, triginta aliquot annorum, a  
pluribus annis in utraque mamma  
per-

percepit tubercula diversæ magnitudinis, mobilia, & hæc subinde vehementissimo dolore afficiebantur; qui tamen dolor absque ullo remedio iterum sponte disparuit.

*Neglexit hoc malum ægra aliunde miseriis assueta.*

Tandem tuberculorum moles aucta fuit, eaque in unum corpus durum pugno virili majus concreverunt in utraque mamma, tantusque ac continuus accessit dolor, ut ægra debuerit lecto decumbere.

*In utraque mamma hinc inde rupta est cutis, quæ erat tota livida, prodiit que tunc materies acris, urens, vicina rodens.*

*Data cicuta non tantum malo posuit limites, sed & sanavit ulceræ, molemque*

ma-

magnam dissolvit in minora tubercula,  
& horum plus quam dimidiam partem  
fecit disparere, sopivitque dolores.

Hæc adeo celeris, & felix morbi mu-  
tatio contingebat spatio quatuor septi-  
manarum.

Dein vero effectus non amplius adeo  
manifestus & velox fuit.

Imo hujus medicamenti usus per octo  
menses continuatus malum fere in eo-  
dem statu reliquit.

Ægra tamen ab illo abstinere non vo-  
luit, contenta eo felici effectu, qui pri-  
mis septimanis contigit, qui que malum  
reddidit adeo mite, ut ægra iterum suos  
labores peragere potuerit.

Tempore nunc versus ver vergente  
corripiebatur tussi violentissima, ita qui-  
dem, ut necesse fuerit, ei aliquoties ve-

nam

nam secare, utque debuerit per plures septimanas lecto inhærere.

Debitis tamen remediis tussis iterum sopita fuit; verum tubercula in utraque mamma cœperunt vehementer dolere, & orta sunt ulcuscula acrem humorem plorantia.

Quum durante tussi multa assumpsit medicamenta, & in iis deglutiendis jam percepit nauseam, nolui ei amplius exhibere cicutam; dedi itaque pulverem ex saccharo & extracto aconiti, qui gratus est, & parva dosi sufficit.

Bini nunc menses finiti sunt, quibus hunc pulverem assumit, & omnia ulceraria jam obducta sunt firma cicatrice, do-lores cessarunt penitus, scirrhosi ac dolentes tumores, qui & post longum ci-cutæ usum in eodem semper statu per-

man-

manserunt, jam ultra dimidium decreverunt mole.

Ad sunt vires, adeo est appetitus, vigentesque omnes actiones, alvus solvitur quotidie, nulla autem manifesta & constans evacuatio sub usu hujus pulveris in hac ægra observatur.

#### EXPERIMENTUM IX.

**F**oemina, 43. annorum, atrocissimo dolore in brachio, pedeque dextro ita affligebatur, ut diu noctuque ejularit.

Nec ullo remedio opiate potuit somnus conciliari.

Adhibui per binas septimanas diversa medicamenta, ægra tamen vix ullum levamen percepit, vires considerunt penitus, & corporis habitus multum extenuabatur.

Ten-